



ILLVSTRISSIMO ARCHIEPISCOPO VALENTINO

D. DON Fr. ISIDORO ALIAGA , EX
PROVINCIA ARAGONIÆ ORDINIS
PRÆDICATORVM ASSVMPTO.

*Fr. IOANNES BIESCAS, eiusdem Ordinis, ac Prouinciae, post
manum oscula Sanctarum.*



RIMOS fructus Theologos senectutis meæ , quos in maiorem lucem produco , post quadraginta annos lecturæ publicæ in hac Sertoriana Oscensium Academia (Illustrime Archiepiscopo) ad pedes tuos sanctos repono , manibus tuis sacratis , & sacrantibus offero , celsitudini tuæ dico : tanquam spendori Aragoniæ , ut spendeant : tanquam decori Ordinis Prædicatorum , ut niteant : tanquam Magno Theologiæ S. Thomæ professori , ut subsistant : tāquam Generoso Protectori omnium ad vmbram tuam confugientium , ut protegantur ab iniurijs temporum , ut non marcescant , ut semper viuant , & iugiter conseruentur amabiles , & iucundi . Te enim (Amplissime Præsul) posuit diuina prouidentia in Ecclesia sancta , tanquam arborem illam Daniel . 4. magnam , fortē , visibilem à terminis mundi , profundis radicibus hærendem terræ , altissimis ramis contingentem cœlum , folijs pulcherrimam , vberrimam fructibus , in cuius ramis cōuersabantur volucres cœli , sub cuius vmbra morabantur bestiæ , & animalia , & omnibus erat in alimento . Quæ enim sunt radices tuæ nisi genus antiquum , honestum , purum , nunc vero Illustrissimum tua Illustrissima persona , & Illustrissima persona , sanctæ memoriæ , Fratris tui , Domini Fr. Ludouici Aliaga , Regis Confessarij , & Inquisitoris Generalis Hispaniæ , etiam assumpti ex Prouincia Aragoniæ Ordinis Prædicatorum , fidelissimi Regibus , utilissimi Regnis , & de Ecclesia Catholica optimè meriti . Venio ad ramos tuos altissimos . Qui sunt isti , nisi dignates tuæ ? Magister in Theologia , Prouincialis Aragoniæ , etiam absens electus , Episcopus primū Albaracinensis , mox Dertusensis , tandem Archiepiscopus Valentinus . Folia tua pulcherrima , virtutes sunt tuæ , & humanæ , & diuinæ , quibus Deus voluit docorare personam tuam , ut speciosus appareas in conspectu Iuo , & Ecclesiæ suæ . Fructus vberimi sunt opera fidei , spei , charitatis , Religionis , pietatis , misericordiæ , & similia , quibus mereris in cœlo magnum gloriæ pondus . Volucres cœli in ramis tuis conuersantes , Clerici sunt , ac Religiosi plurimi , qui fabore tuo diuinis vacant laudi bus ,